



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

XXVII. Qualiter debeat esse sollicitus Abbas, iunguntur excommunicatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

De ijs qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis. CAP. XXVI.

**S**I quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excommunicatio quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa excommunicatos CAP. XXVII.

**O**Mni sollicitudine curā gerat Abbas circa delinquentes Fratres: quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus. Et ideo vti debet omni modo, vt sapiens Medicus immittere quasi occultos consolatores Seniperas, id est Seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem: Et consolentur eum ne abundantio i tristitia absorbeat: Sed sicut ait apostolus, Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres: & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarū curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuet Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus. Quod crassum videbatis assumebatis: & quod debile erat proiiciebatis. Et pastoris boni pium imitetur

Matth. 9.

2. Cor. 2.

Ezech. 34.

exem-



Luc. 16.

exemplum: Qui relictis nonagintanovem ouibus in montibus, abiit vnā ouem, quæ errauerat quærere. Cuius infirmitati in tantum compassus est: vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

*De ijs qui sepius correcti non emendantur.*

C A P. XXVIII.

**S**I quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum vindicta in eū procedat. Quod si, nec ita se correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiēs Medicus. Si exhibuit fomēta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vltionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam si viderit nihil suam præualere industriam, adhuc beat etiam, quod maius est suam & omnium Fratrum pro eo orationem: vt Dominus qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit: tunc iam vtatur Abbas ferro abscessionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis, & iterum: Infidelis si discedit, discedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contamine.

1. Corint. 5.

2. Corint. 7.

I. (VTA